



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola I. Clementis Papae III. Ad Episcopos Scotiae. Nuntiat iis Hugonem sancti Andreae episcopum ab Urbano citatum, & contumaciter emanentem episcopatu depositum esse, suadetque Ioannem eligi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

EPISTOLA I.  
 CLEMENTIS PAPÆ III.  
 AD EPISCOPOS SCOTIÆ.

Nuntiat iis Hugonem sancti Andree episcopum ab Vr-  
 bano citatum, & contumaciter emanentem  
 episcopatu depositum esse, suadetque  
 Ioannem eligi.

*Clemens episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus  
 Iocelino Glasguensi & Matthæo Aberdensi episcopis, & dile-  
 ctis filiis Ernaldo abbati de Melros, & Bertramo priori de  
 Goldingham, salutem & apostolicam benedictionem.*

**N**E in dubitationis recidant scrupulum quæ geruntur,  
 dignum est literarum memoriæ commendari, & ad  
 illorum notitiam, quorum interesse videtur, celebri ac  
 veridica insinuatione perferri. Meminimus autem quod  
 bonæ memoriæ Urbanus papa prædecessor noster Hugo-  
 ni, quondam dicto episcopo sancti Andree, pro contro-  
 uersia, quæ inter eum & venerabilem fratrem nostrum  
 Ioannem episcopum vertebatur, sub excommunicatio-  
 nis interpositione mandavit, ut ad certum diem respon-  
 surus in iure aspectui se apostolico præsentaret. Verum  
 quia conscius actuum suorum, & euentum iudicii refor-  
 midans, venire contumaciter recusavit, nos & pro hoc  
 & pro aliis multis, quæ, crebrescente fama, ecclesiæ Dei  
 scandalum pepererunt, ipsum ab episcopatu sancti An-  
 dree, de consilio & assensu fratrum, perpetuo iudicau-  
 mus apostolicæ sedis auctoritate remotum, & ab usu epi-  
 scopalis officii eo usque suspensum, donec apostolica se-  
 des duxerit de ipso aliter statuendum: absolventes a fide-  
 litate subiectos qua ei tenebantur adstricti. Sane, quia va-  
 cantes ecclesias diutius regimine pastoralis carere sancto-  
 rum Canonum inhibent sanctiones, discretionis vestræ  
 per apostolica scripta mandamus, quatenus dilectos fi-  
 lios nostros, capitulum sancti Andree, ex parte nostra di-  
 ligentius moneatis, ut sibi talem eligant episcopum & pa-  
 storem, qui digne possit episcopalis officii dignitate potiri.

*Concil. Tom. 28.*

E ij



Specialiter autem eos, quantum vobis possibile fuerit, inducere laboretis, vt memoratum episcopum Ioannem, virum bonæ opinionis, & pro sui honestate nobis & fratribus nostris acceptum, ad regimen & prælationem illius ecclesiæ sine cuiusquam scrupulo difficultatis assumant. Quod si omnes his exequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilo minus exequantur. Datum Pisæ decimo septimo Kalendas Februarii, indictione sexta.

## EPISTOLA II.

## CLEMENTIS PAPÆ III.

AD VVILIELMVM REGEM SCOTORVM.

Eiusdem argumenti.

*Clemens episcopus servus servorum Dei Vvilielmo illustri  
Scotorum regi salutem & apostolicam  
benedictionem.*

**O**CVLOS diuinæ maiestatis offendere non modicum æstimamus, si prælatorum excessus, quibus indulgere salua conscientia non possumus, per incuriam sine coercionem debita relinquimus. Vnde cum bonæ memoriæ Urbanus papa prædecessor noster Hugoni quondam dicto episcopo sancti Andreæ pro controuersia, quæ inter eum & venerabilem fratrem nostrum Ioannem episcopum vertebatur, sub excommunicationis interpositione mandauerit vt ad certum diem responsurus in iure conspectui se apostolico præsentaret, & ipse conscius actuum suorum, & euentum iudicii non immerito reformidans, ex contumacia venire contempsit, nos pro hoc & pro aliis multis, quæ crebrescente fama ecclesiæ Dei scandalum pepererunt, ipsum ab episcopatu sancti Andreæ, de consilio & assensu fratrum, perpetuo iudicauimus apostolicæ sedis auctoritate remotum, & ab vsu episcopalis officii eo vsque suspensum, donec apostolica sedes duxerit de ipso aliter statuendum; absoluentes a fidelitate subiectos qua ei tenebantur adstricti. Licet enim ad honorem & profectus tuos, quantum cum Deo possumus, firmum habemus propositum intendendi, & in facto prædicti Hugonis curia Romana, non absque detractioe multorum,